







Pia vota  
Pro salute ac felicitate  
Sereniss. Domini Electoris Saxoniae &c.  
Legatorum Augustissimorum,

*Viri Illustris ac Generosi,*

**Dn. HEINRICI à Friesen Junioris, in Rothaw/**

Schönfeld & Jessen, Toparchæ &c. in sanctiori Curia  
Electoralis Consilarii Intimi &c.

Domini Gratiofi:

*Viri Generosi ac Nobilissimi,*

**DN. JOHANNIS ERNESTI PISTORIS**

in Seufelitz &c. in Suprema Electorali Appellationum Curia Consi-  
liarii Gravisissimi &c.

Mecœnatis Maximi:

*Viri Magnifici ac Consultissimi,*

**DN. AUGUSTINI Strauch/**

J. U. Doctoris ac Professoris Publ. in Acad. Electorali VVitte-  
bergensi celeberrimi, itidem in supremo Appellationum Synedrio  
Consilarii, Dicasterii, quod Wittebergæ est, & Consistorii Ec-  
clesiastici, adeoq; Facultatis Juridicæ ibidem  
Adsesoris &c.

Patroni Honoratissimi:

In Comitibus Imperialibus Ratisbonensibus  
jam commorantium,

Ratisbonam, cum incolumitate perpetuâ, & prosperis  
in rebus gerendis etiam supra vota successibus,  
transmissa d. 25. Jan. Anno 1653.

à Cliente devotissimo

**M. JOH. BOHEMO, Poët. Cæsar. in Electorali  
Dresdâ Rectore.**



DRESDÆ,

Typis CHRISTIANI & MELCHIORIS Bergen/  
Elect. Saxon. Chalcographorum,  
Anno Cl<sup>o</sup> 13 C LIII.

1111 I



Ad Epistolam

Ut Serenisf. ac Potentissimi

Dn. Electoris Saxoniae &c. Eminentissimos,  
Excellentissimosq; Legatos jam Ratisbonae in  
Comitiis Imperialibus commorantes  
adeat.

**V**ade salutatum subito perarata PATRONOS  
Litera, sermonis fida ministra mei.  
Invenies illos tractare negotia summa  
Imperij, aut libros Pieridasq; suas.  
Forfan, ut humani sunt summe, Seria mittent,  
Atq; ex te quaerent: *quid venias? quid agam?*  
Vivere me dices, *Crucis inq; Scholâ usq; docere:*  
Et *ΤΥΠΤΟ, & ΠΑΚΑΔΗ, Fecana, Ebas, Hebâs.*  
*Quis color, & quod sit Causae genus, atq; ubi summa*  
*Quaestio, quaeq; aliâ parte sagitta cadat.*  
Me, dices, illis faustumq; bonumq; precari  
*Annus, omni plenum floriditate, novum!*  
Felices illis Iani faustaq; calendae  
Sint, fortunatus totus & Annus eat!  
Bella, fames, pestis procul absint, omnis Eorum  
Actio sit felix, consilium omne fiet!  
Omina nil noceant! nec quae modo dira minantur  
Hinc inde in tristi sidera moesta polo.  
Quicquid erit, malum erit. male vulgi fabula fallit:  
*Nulla polo virtus. Exitus omne probat.*  
Fundere me, dices, pro summo CAESARE, proq;  
SAXONE sollicito pectore vota, preces.  
Quotidie, dices, me fundere vota precesq;  
Pro LEGATORUM prosperitate, pias.  
Pro Grege, pro Lege, & pro Religione, salute  
Romani Imperij, consilijsq; sacris,  
Exoriens moriensq; polo quod Phœbus adorat,  
Tempus in omne potens floreat Imperium.  
Et simul accipant, rogitabis, fronte serenâ,  
Et *Xenia & vota hæc seria, sera licet.*  
Nec vitio dent, quod (ceu trita Parœmia vulgo est)  
Post Festum demum serius illa feram.  
*Seria dummodo sit, nunquam est Oratio sera:*  
*Sera etiam penetrant templa superna preces!*

I. HEIN-



## I.

HEINRICUS AB FRISEN.

*Per Anagramma.*

EN! INIBI FERS CURAS.

HENRICUS A FRISEN.

EN! FERS CURAS INI.

HENRICUS A FRIESEN.

EN! IN RE CHARUS FIES.

**F**RISE Decus Patriæ, FRISE Gloria SAXONIS  
Aulæ

Multiplici rerum cognitione Deus.

Non repetam laudes, quâs, VIR GENEROSE,  
mereris: (cet.

Nam laudare animo plus, minus ore de-  
Si vivas homini virtutes cernere fas est,

Adspiciat vultus sidera, FRISE, tui.  
Sanctis ingenii tua se dona aurea dictis

Commendant, oleû dulce Cleanthis olent.

Suspiciant Belgæ Belgas: amplissima laudet

Roma Suos: celebres Græcia jactet Avos.

Te summa & virtus, & summa Scientia rerum

Entheat, atq; inter sidera celsa locat.

Inde & ad IMPERII COMITIA magna ELECTOR

Te modo Legatum mittit honore gravem.

Nempe ubi Virtutum merita, EN! ibi præ-

mia Honorum:

Præmia, quæ nunquam posse perire vides.

Grator! es alter Atlas. FERS ardua pondera re-

Laudari debes jure secundus Atlas. (rum:

Imò secundus Atlas tu primo major Atlante

Corporis ille valet robore, tu cerebri. (es:

A 2

Hic,



Hic, INIBI, sanctas pro DIVO SAXONE CURAS,  
 Pro Patriâ, Imperii proq; salute geris.  
 Fers sanctas curas. Tecum feret enthea Pallas  
 Hasce, feret cumq; hac Pallade diva Themis.  
 Sed nec sola Themis feret has cum Pallade so-  
 Et comes Eusebie juncta sed hasce feret. (Iâ,  
 O charas CURAS! quas CÆSARIS ATLAS Atlanti  
 Imposuit SAXO, Maxime Frise, tibi. (ctas  
 Faustus INI curas. Comitabitur <sup>in cunctis</sup> gloria, cun-  
 Gloria divitias quæ superare valet.  
 CHARUS IN hac FIES RE cunctis, SAXONI charus,  
 Imperio charus, CÆSARI, chare DEO.  
 Felices curæ sint, quas pro patriâ, honore  
 Imperii, quas pro Religione geris! (nū hoc:  
 Qvod precer ulterius, nil est. EN! apprecor u-  
 Det Deus ætatem, cætera cuncta dedit!

II.

Parodia ad oden III. Lib. I.

Horatii.

*Ad currum, quo vehebatur Henricus  
 à Frise Ratisbonam profecturus.*

Sic te JOVA potens poli,  
 Sic fraterq; hominum JESULUS optimus,  
 Sic turmæ Angelicæ regant,  
 Semotis Satanæ fraudibus & dolis,  
 Currus, qui tibi creditum  
 Debes Frisiaden Patribus IMPERI  
 Jungas incolumem precor;  
 Et ferves animi delictum mei!  
 Illi spiritus & vigor

Circa



Circa pectus adest, qui sophies vigil,  
Linguarumq; scientiam  
Haurit, nocte dieq; studet, & legit,  
Ut possit Patriæ suæ  
Inservire, suo consulere & Duci,  
Quo non charior alter est  
Princeps, Aonides evehere & Themis.  
Quem curæ timuit modum,  
Qui summo studio tædia pertulit,  
Libris in vigilans bonis,  
Aulam quò sapiens consiliis juvet?  
Nequicquam DEUS abdidit  
Prudens Herculeis panè laboribus  
Artes, si tamen impigræ,  
Non tangenda maris transfiliunt vada,  
Mentes, abdita noscere.  
Mens Musæa cupit visere scilicet  
Hispanos, Italos, cupit  
Anglos & Batavos visere, disfitos  
Et Græcos, ut ab Exteris  
His rerum rediens experientiam  
Multarum referat domum.  
Exemplo es, FRISE prælustrior, INCLUTE  
HEROS. omne tenes Sophos,  
Et quæ sunt Patriæ sana, salubria  
Cunctis scis STATIBUS piis.  
Ablegavit & hinc Te PATRIÆ PATER  
Aulæ CONSILIARIUM

Ad



AdCOMITIA magna IMPERII intimum.  
Grator! sis ter & amplius  
Felix! CONSILIUM ac omne regat DEUS!

III.

QVod Vario Flaccoq; suo priscoq; Maroni  
Mecænas Aravis Regibus ortus erat.  
FRISE, piis Musis es, Musarumq; Ministris,  
FRISE, meum Decus & nobile Præsidium,  
Felicis, tales qvicumq; fuere, fuerunt:  
Talis es, hinc major gloria, major honor.  
Vive, redi felix! ita præbe læta. micabunt,  
Te redeunte, suo sidera clara polo.  
Vive, redi felix! hoc SAXONIS AULA precatur,  
Hoc tuus ille PARENSES expetit, omnis avet.  
Vive, redi felix! & quæ Pietate mereris,  
Præmia ab IMPERIO, & CAESARE digna refer!

I.

JOHANNES ERNESTUS PISTORIS.

*Per Anagramma.*

VENIS SAPIENS HISTOR NOSTER!  
EN! HISTOR PORTANS ONUS ES IIS.

*e n i o mutato.*

*Quem Ratisbona sic excipit.*

Elige! VENIS SAPIENS HISTOR, PISTORIS Amande,  
Romani Imperij, NOSTER, es omnium amor.  
Exoptatus ades Consul, quos consulit ipse  
CAESAR, IIS, quos hic consulit Imperium.  
Ingredere o felix! cum PATRIBUS IMPERIIQ!  
Confule ONUS PORTANS, quære salutis opem!  
EN! pius & sapiens Procerum te nobilis ORDO  
Excipit Imperij, fausta q; cuncta vovet.  
Es cunctis gratus Polyhistor. Gratus es imis,  
Gratus & es Superis. FANE colende, veni!  
Confule Dexteritas satis est tua cognita. DUDUM  
HAECTUA MENS SAPIENS TE SUPER ASTRA TULIT.

II.

Sic Te, quæ summum Romani magna Mo-  
narcham  
Imperii fovet, urbs excipit atq; colit.

Grator



Grator ego, atq; precor felicia quæq;: vigesce,  
Nestoris annosi & secula salvus age!  
Sanus age. ulterius nil possum. JANE, JEHOVA  
Toti consilio præsit & omne regat!  
Sint precor Imperii Comitata fausta, STATUSq;  
Felices, & cum CÆSARE SAXO PATER!  
His ego non potero Patriæ meliora precari,  
Commoda non potero nobiliora mihi.

---

AUGUSTINUS STRAUCHIADES.

*Per Anagramma.*

SUSTINE, CURIS DA AUGUSTA!

AUGUSTINUS S(t)RAUCHIUS.

TU UNUS CHARUS AGIS IUS.

**Q**uod benè vortat! abis ad summa negotia  
rerum (abis.

Tractanda Imperii. Quod benè vortat!  
Maxima conveniunt ROMANI NUMINA REGNI,  
Imperio & quærunto ferre salutis opem.  
Faustus abi, salvusq; redi! feliciter omne  
Quod SAXO imposuit, SUSTINE Honoris  
onus.

Fer simul Imperii curas benè pectore forti,  
Cum MAGNO FRISIO, PISTORIOq; cato.  
Adde tuis curis illorum, STRAUCHIE, curas:  
Divisum levius sæpe onus esse solet.  
UNUS CHARUS AGIS TU IUS, AUGUSTA Themistæ  
Fer Patriæ Patri gaudia, DAq; Tuis.  
Salvus abi, salvusq; redi, salvus q; reporta  
Æternæ PACIS munera ab IMPERIO!

VOTUM.



## VOTUM.

**U**Nica nostra falus, SOTER, fons une salutis,  
 Omnia quem metuunt Regna, tremitq; polus.  
 Adcujus nomen terræq; orciq; poli q;  
 Se curvant pedibus omnia prociduis.

CAESARA conserva, conserva SAXONA saluum,  
 Semper & Angelicâ, CHRISTE, phalange tege.

Omnes Imperij Proceres, tua nescia finis  
 Gratia fortunet, perpetuusq; favor.

Da, sint IMPERII COMITIA fausta, JEHOVAE  
 Gloria quò crescat, publica quoq; Salus.

Da, superent Docti, qui forti pectore sanctum  
 Defendant puræ Religionis opus.

Eusebie atq; quies, Pax & Concordia crescant,  
 Tempa, Scholæ vigeant, floreat alma Themis!

Floreat Imperium magis & magis inclutum in ævum,  
 Crescat Cæsareum, Saxonicumq; Decus!

Artibus & Phœbo sua constant præmia egenti:  
 Sint Meccenates, pauper ubiq; Maro est.

Comprime Turcarum furias atq; arma Tyranni,  
 Convertite in fœdam castra cruenta fugam.

Qui rabido Imperio minitatur acinace, qui se  
 factitat atroci sternere Regna manu.

Omnia tu solus potis es præstare, iuvare.

Manat ab auxiliis hoc opus omne tuis!

Hæc repetam summo pro CAESARE, SAXONE summo,

Pro cunctis STATIBUS vota subinde pijs.

Cœlica supplicibus venerabor Numina votis,

Fervidâ opem Jovæ sollicitabo prece.

Nunquam cesfabo VESTER, seu mergitur undis,

Seu Sol Eois purpurat altus eqvis.

Verum has perpetuò, gemebundi pectoris arma,

Ardentes pergam volvere ad astra preces.

Vota DEUS firma! sit FRISIUS ille, sit ille

Salvus PISTORIS, STRAUCHIUS ille fiet!

SCURTZIUS ille meus sit fortunatus in ævum,

Quin totus felix & COMITATUS agat!

Quæis *Discedentes* votis sum, CHRISTE, sequutus,

Da possum *Reduces* excipere hisce brevi:

Itis? abitis? eunt, abeunt. Bene abite, redite!


Sit JESUS vester Dux iterisq; comes!

F I N I S.











Ad Epistolam  
*Ut Serenisf. ac Potentissimi*  
**Dn. Electoris Saxoniae &c. Eminentissimi-**  
 mos, Excellentissimoſq; Legatos jam Ratisbonae in  
 Comitibus Imperialibus commorantes  
 adeat.

**V** Ade salutarum subitè accersit PATRONOS  
 mei.  
 Invamma  
 Imas.  
 Forſan, u  
 Atq  
 Vivere n  
 Et 7  
*Quis color*  
*Qua*  
 Me, dices  
*Ann*  
 Felices illi  
 Sint  
 Bella, fam  
 Acti  
 Omina ni  
 Hinc  
 Qvicquid  
*Nub*  
 Fundere r  
 SAXO  
 Qvotidie,  
 Pro  
 Pro Grego  
 Rom  
 Exoriens  
 Tem  
 Et ſimul a  
 Et Xe  
 Nec vitio  
 Poſt H



*Seria dummodo ſit, nunquam eſt Oratio ſera:  
 Sera etiam penetrant templa ſuperna preces!*

I. HEIN-

